DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS

PNEUMONORRHAGIAM,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA, RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

Thomas Selnitschek,
MORAVUS TREBITSCHENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die 28. mensis Maji 1841.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Nemo ultra posse tenetur.

FAUTORI SUO OPTIMO

MICHAELI

RAFFÖLSBERGER.

HONORIFICO DOMINO

PRIVATIM DEGENTI.

PRIMA HAEC IN LITTERIS CONAMINA

CEU

SPECIMEN ANIMI GRATI CULTUSQUE PERENNIS

OFFERT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

Prooemium.

Ad capessendam supremam doctoratus lauream, leges academicae dissertationem inauguralem, de objecto ad rem medicam spectante, publicae disquisitioni submittere jubent; quibus ut satisfaciam Pneumonorrhagiam selegi, quem morbum rite observare mihi saepius occasio data fuit. Persuasus sum, hancce elaborationem multis erroribus scatere, sed lector benevole perpendas, angustias temporis ad elaborandum dati, exiguam quam mihi licuit in scientia medica colligere experientiam et quoties quid manci reperies, considera me non ex pruritu scribendi sed ex lege hancce tractatiunculam, suscepisse.

Etymologia et morbi conceptus.

Pneumonorrhagia — Pneumorrhagia [1]) a *Πνευμων* (pulmo) et *ρηγνυμι* (*ῥαγω*, *ῥασσῶ*, frango, rumpo, prorumpo); etiam nomine sputi cruenti, sanguinis sputi, fluoris sanguinis, exspuitionis, et tussis cruentae nota. — Aliis audit: Haemoptysis Haemoptysmus, Haemoptoë, Emptoë, Emptoys, Haemorrhagia pulmonis. Germ.: Lungenblutfluß, Bluthusten, Blutspucken, Blutspeien, Blutauswurf.

His nominibus diversis, comprehenduntur profluvia sanguinis organorum respirationis, i. e. laryngis, tracheae, bronchorum pulmonumque, sanguine maxima ex parte per os proveniente; sed nullatenus haemoptysis, haemoptysmus, et haemoptoë, hanc notionem stricte adimplent; quum una ex parte haemoptysmus, absque sanguinis profluvio ex organis respiratoriis occurrit; (profluvia sanguinis cavi oris, gingivae etc.) altera ex parte sanguis ex pulmonibus absque tussi eliminari potest.

Jam *Galenus, Riverius, Fr. Hoffmann Ludwig, Z. Platner* et alii sputum cruentum a haemoptysi distinxerunt; illo sanguinem e cavo oris; hac ex organis respiratoriis profluentem credentes.

Ex his nominibus respectu etymologico Pneumonorrhagiam sine dubio optimam denominationem esse nemo negabit, quae pro diversa sanguinis profluvii sede, in Tracheorrhagiam et Pneumorrhagiam proprie sic dictam discedit.

---

[1]) *Schönlein.*

Definienda est ergo Pneumonorrhagia qua evacuatio sanguinis ex pulmonibus ope tussis, fortioris exspirationis, sive motus tantum tracheae regressivi causata; insimul cruoris fluxum ex larynge (Laryngorrhagiam), ex trachea (Tracheorrhagiam) complectens; quamquam notae distinctivae ultimarum haemorrhagiarum, haud semper et ubique presto sint.

Haemorrhagiarum seriem lustranti, si quantitatem sanguinis per pulmones vagantis, motum hujus organi continuum, ejusque sensibilitatem et irritabilitatem altiorem, structuram ejus teneram, viciniam cordis etc. rite perpendit, mirum non videbitur, Pneumonorrhagiam sistere morbum epistaxi et haemorrhoidibus exceptis, omnium haemorrhagiarum frequentissime occurrentem.

Momenta symptomatica generalia.

Symptomata lustrans alia invenis, quae morbo saepe praecedunt, alia, quae illum comitantur, alia, quae ei succedunt.

Etsi haemorrhagia pulmonum subito saepe absque omni turba circuli cruoris per reliquum corpus, deficientibus congestionis ad pulmones prodromis intret; tamen casus multo frequentiores occurrunt, in quibus praeprimis activae, symptomata praecedere consvescunt, uti: respiratio difficilis, sensus gravitatis et oppressionis in pectore, aut in uno ejus latere, sic et inter scapulas, aut, quod secundum *J. L. Schönlein* frequentissime adparet, in una pectoris plaga circumscripta. Ex his motu aut sermone protracto vera dyspnoea se evolvit, aeger profunde inspirare tentans tussiculam brevem prodit; percipitur dolor in trachea aut lanrynge, et quidem mox obtusus et premens, mox acutus et pungens; superaccedunt anxietas, calor ex pectore ascendens, mutua sensatio frigoris et caloris in reliquo corpore, palpitatio cordis, caephalea gravativa, oculorum scintillatio, aurium susurrus, somnus inquietus, vertigo.

Symtomatibus his per paucas horas, aut per plures dies diversa intentione perstantibus, haemorrhagia adparet. Aegri hoc momento sensationem aquae tepidae in pectore effusae indi-

cant (*Schönlein*) et sub augmento omnium symptomatum, sub sensu caloris e pulmonibus ac trachea ascendentis, latex cruentus, cum stertore aut cum strepitu, ebullienti fluido similis, tussi levi, aut saepe violenta exorta, ejicitur.

Sanguis eliminatus est coloris diversi aut laete ruber (arteriosus) aut nigricans (venosus) non raro et paucis in minutis colorem suum mutans (*Schönlein*) quantitate jam majori jam minori, spumosus, vesiculis aëreis consitus, aut merus, aut forma striarum muco bronchiali immixtus expectoratur; alias torrentis instar ex pulmonibus prorumpit (Lungenblutsturz, haemorrhagia pulmonum); quod quum accidit, diaphragmate per tussim validam in compassionem tracto, ac portione sanguis per oesophagum in ventriculum defluxa, vomitum cruentum Haematemesin simulare potest. Hac praecoci laticis nobilissimi jactura aegrum haud raro statu asphyctico detentum jacere invenies! — Nec desunt exempla eorum qui somno profundo sepulti, aut debiles, et male, ac supino in situ locati, superveniente majore sanguinis unda, suffocati sunt (*J. P. Frank.*)

Haemorrhagia finita, et sanguine evacuato quies ingruit, symptomata prodroma imminuuntur, cessant; frequenter tamen remanet dyspnoea, et post moram breviorem aut longiorem, haemorrhagia denuo comparet. Variat autem haec relate ad quantitatem et qualitatem sanguinis excreti, relate ad durationem, reversionem, et pro diversa morbi natura.

Momenta diagnostica.

Haec indagantem juvabit, auctorum distinctionem pneumonorrhagiae, a sede — charactere, ac indole — quantitate, et vehementia sanguinis prosilientis — ab influxu ejus salutari, ac nocivo in morbos forsan praesentes — a typo, — genio regnante, — aut a mutua ejus ratione, cum aliis morbis derivatam, rite dignari; quum unicus hic morbus, pro hac diversitate aliam, et aliam therapiam sibi exposcit.

I. Quoad sedem suam secedit hic morbus aut in:

a. Tracheorrhagiam, prout in larynge aut trachea residet. Aut in:

b. Pneumonorrhagiam proprie sic dictam, prout sanguis, ex ipsis pulmonibus provenit.

A. Tracheorrhagiam, quae et nomine Haemoptoës nota est (*Schönlein*) cognoscis ex sequentibus: aeger in certa plaga tracheae, aut laryngis, aut in majori bronchorum ambitu indicabit pruritum ingratum, sensum ardoris, huic superaccedit tussicula brevis, non ex profundo pulmonum veniens superficialis; vox aegri alienatur aut rauca, aut sibilans fit. Sub levi screatu aut sub hac tussicula brevi, quae aut sicca, aut cum expectoratione muci albuminosi conjuncta esse potest, sanguis parca quantitate absque spumis, aut cum muco aequaliter mixtus, aut hunc tantum insuperficie tingens, semper laete ruber eliminatur. — Sub auscultatione strepitum respiratorium invenies normalem, sub percussione nullam sonus alienationem — sed sub stethoscopo in trachea percipitur stertor (*Schönlein.*)

Vasis sanguinem plorantibus, profundius locatis diagnosis erit difficilior. Nec facile quisquam eruet, num vasa trachealia an non potius pulmonalia cruorem fundant? — si sanguinis effusio est notabilis, si cruor in bronchos depluit, dyspnoëam respirationem difficilem, strepitosam causat, et tussi exorta sanguis spumosus ejicitur; tunc inquam dubius haerebis quaenam sit sedes haemorrhagiae? —

B. Pneumonorrhagia proprie sic dicta a nunc depicto morbo eo differt; quod stadium congestionis in pulmone ipso celebrat, quod sub respiratione multum impedita tussique validiori sanguis spumescens et copiosus eliminatur. Insuper adhuc imaginem hujus morbi distinguentem symptomatibus uberius nobis ultro exponendis depingemus.

II. Respectu characteris s. indolis obvenit pneumonorrhagia aut cum charactere:

a. Activo s. inflammatorio.

b. Erethistico s. spasmodico.

c. Passivo s. paralytico.

A. Character pneumonorrhagiae activus — inflammatorius (veterum) qui secundum clar. *J. N. Raimann* etiam sic dictum

characterem erethismi in se complectit — sthenicus hypersthenicus (recentiorum) synochalis (*Haase* et *Reil*), cum energia vitali morbose in corde et arteriis exaltata procedens, abnormem secretionem in pulmonibus provocat.

Praecedere ei consvescunt: inquietudo, pervigilium aut major etiam propensio in somnum, insomnia vivida terrifica, phaenomena congestionis ad pulmones: gravitas, pressio, tensio, pruritus, dolor ardens in pectore, stimulus in tussim, frigus cum aestu alternans, pulsus acceleratus, plenus, fortis, durus, dicrotus, saepe inaequalis ac irregularis, urina parca, flammea; stricte omnia fere symptomata pneumoniae incipientis. His haud raro junguntur phaenomena congestionis in encephalon: rubor, tumor faciei, cephalea, vertigo etc.

Sanguis evacuatus est laete ruber, parcus, cito coagulabilis, mox et crustam inflammatoriam formans. Haemorrhagia comparente omnia symptomata imminuuntur, aeger omni ex parte notabile levamen persentit, quod et qua symptoma pathognomonicum hujus pneumonorrhagiae semper intrat. Confirmant porro diagnosim: subjecta robusta ampli latique thoracis, causarum indoles, diathesis phlogistica, in hieme grassans, remediorum fors jam adhibitorum effectus.

B. Character erethismi, spasmodicus, (quem nonnulli et asthenicum putant) asthenico activus, typhi (*Reil*) cum energia vitali quidem imminuta, sed cum cordis arteriarumque exaltata irritabilitate incedit. Agnoscit et hic character phaenomena pneumonorrhagiae activae prodroma eadem, sed sunt hic minus constantia ac cum aliis prioribus plane contrariis alternantia. Invenies hic cutem frigidam, siccam, urinam pallidam, spasticam, ruborem faciei magis circumscriptum, faciem mox frigidam mox calidam, praecocem aestus cum horripilationibus mutationem, sanguinis inaequalem distributionem, pulsum frequentem, acceleratum, parvum, spastice contractum, multum variabilem, et sensibilitatem totius corporis morbose exaltatam, dispositionemque in phthisim pulmonalem praesentem. Aucta intensione horum symptomatum sanguis quantitate majori sub insultu profluit, sic et repetitis vici-

bus cum levamine saltem sub initio paroxysmi, exiguo ejicitur. Sanguis evacuatus, et hic laete ruber adparet, consistentiam minorem, crustam phlogisticam initio morbi exiguam, postmodum vero nullam offerens. Diagnosim dilucidant: habitus phthisicus, constitutio irritabilis, in individuis debilioribus ac junioribus.

C. Pneumonorrhagia cum charactere passivo, paralyseos (*Reil* et *Haase*) torporis, asthenico torpido; debilitate vitali cum cordis arteriarumque irritabilitate languente notata.

Quamquam haec pneumonorrhagiae species plurimis in casibus absque prodromis intret; tamen haud raro phaenomena accumulationis sanguinis et congestionis in pulmonibus passivae: dolorem obtusum, pressivum, gravitatem ac tensionem, in pectore ei praecedere videbis. Hunc characterem et insuper cognoscis ex absentia symptomatum pneumonorrhagiam activam aut erethicam indicantium, ex habitu aegri, ex morbis praegressis et praesente, ex sanguinis indole magis venosa. Sanguis profluens est nigri coloris, tenuis resolutus, qui tantum in majori quantitate eliminatus tussim excitat; respiratio est stertens, halitus est foetidus, aeger fere totus friget, ac summe se delassatum persentit, cutis est laxa, luridi coloris, plumbea, sudore viscido tecta, corripit haec pneumonorrhagia potissimum individua provectae aetatis constitutionis laxae ac debilis haemoptysi saepius detenta. Obvenit simile profluvium in febre putrida, aut morbo maculoso *Werlhofii*, scorbuto etc.

III. Respectu quantitatis et vehementiae sanguinis prosilientis: existit

a. Haemoptysis, cum rejectione sanguinis lenta; et

b. Haemorrhagia pulmonum stricte sic dicta (Lungenblutsturz) si sanguinis magno impetu ac magna copia prorumpit e pulmonibus.

IV. Quoad influxum ejus salutarem ac nocivum in forsan praesentes morbos est aut: critica — symptomatica — idiopathica — sympathica — aut metastatica.

V. Quoad typum haemoptysis est aut continua continens, aut plerumque remittens, imo intermittens, typo jam regulari jam irregulari. Exempla pneumonorrhagiarum intermittentium leguntur in operibus *CC. Reil*, *Spangenberg*, *Fr. Hoffmann*, *Thomson*, *Mead* etc.

In opere cel. *Rougemont* [1]) sunt casus pneumorrhagiarum per **13**, **20**, **40** annos ordinem periodicum observantium.

VI. Ad causas remotas relata pneumonorrhagia est aut: haereditaria, sporadica, endemica, aut epidemica; haec plerumque pneumoniae putridae se adjungit. Descripta est talis epidemia a *CC. Fr. Hoffmann*, *Heidenstamm* et *Stoll*.

VII. Quoad mutuam ejus rationem cum aliis morbis adparet aut: simplex aut complicata: cum pneumonia exanthematibus, febri putrida, scorbuto etc.

Differentia cum morbis analogis.

Existunt nonnulli morborum, in quibus sanguis aut ei similes humores per os ejiciuntur, qui haemoptysim ideo simulantes, facile ad incongruam therapiam seducere possent. Huc pertinent:

A. Muci ex glandulis bronchialibus secreti colore suo alienati ejectio. Hic mucus in individuis senio confectis, tumentibus his glandulis secretus colorem saepe nigrum offert, cel. *Portal* [2]). Accidentaliter etiam alienatur hic mucus per substantias colorantes in bronchos deductas, uti ab inspirato pulvere laterum [3]) colorem similem exhibet; nec raro nigri coloris a hominibus in cubiculis fumo repletis diu morantibus expectoratur.

---

[1]) Abhandlung über die örtlichen Krankheiten. Eine gekrönte Preisschrift. Aus dem Französischen übersetzt von F. G. *Wegeler*. Frankfurt am Main. 1794. — 8. Seite 94.

[2]) Samml. auserles. Abh. zum Gebrauche für practische Aerzte. B. 10. S. 410.

[3]) *Spangenberg* a. a. O. S. 255.

Absentia symptomatum pneumonorrhagiae praeeuntium eamque comitantium sic et solutio hujus muci aquosa colorem griseum offerens, diagnosim confirmant.

B. Haemorrhagia a choannis narium posticis; hic imo sanguine epiglottidem irritante, tussis oritur, et diagnosim obscurat, sed examine rite instituto absentia difficultatis respirationis, dolorum in thorace prementium, partes sanguinis coagulati, cavo oris bene inspecto, e choannis narium posticis dependentes, injectiones acidiusculae omne dubium solvent.

C. Stomatorrhagia — hic screatus et tussis plane deficiunt et eluto ore, locus sanguinem plorans patebit.

D. Gastcorrhagia. Haematemesis, vomitus cruentus, Magen-Blutung, Blutbrechen. Haemoptysis simulat hunc morbum, si sanguis sub violento insultu per pharyngem et oesophagum magna copia in ventriculum delatus, emesi per tussim, sympathice provocata, cum contentis ejus evomitur. Ambo vero diversitate suorum symptomatum, aut prodromorum, aut pathognomonicorum, aetatis, dispositionis, constitutionis coloris sanguinis ejecti, in haemoptysi laete rubri, in haematemesi fere semper atrorubri vel atri quum et sanguis arteriosus in ventriculo carbonisatur (*Haase*) stricte distinguuntur.

Momenta aetiologica.

Pneumonorrhagia ut alii morbi causas disponentes, et excitantes agnoscit.

Causas disponentes

invenimus:

A. In thoracis deformitatibus variis, ejusque vitiosa conformatione; si nempe spatium thoracis, nimis angustatum, expansionem pulmonum debitam, et per hos circulationem sanguinis liberam impedit; quod et experientia in individuis lordosi et scoliosi aliisque deformitatibus spinae dorsi mulctatis, pulmonum cum pleura concretione laborantibus, item et in iis, qui per thoracula pectus multum constringere amant, confirmat, nam haec Haemoptysi frequentissime correptos videmus.

B. In certa vitae periodo. Experientia duce haemoptysis frequentissima occurrit intra 14 — 36 aetatis annum. Etsi hoc cel.

Reil, et alii ex aortae majori evolutione ac firmitate, et ex hinc inde causata sanguinis per pulmones circulatione vitiosa explicandum esse putent; tamen ne praetervideas, sanguinis congestiones in organis pectoris sub eorum evolutionis periodo frequentius occurrentes, praecipuam haemoptyseos contingentis causam agnoscendas esse; sic etiam prouti epistaxis ex eadem ratione aetati puerili familiaris esse videtur; ita et aetas juvenilis, qua periodus organorum respirationis formandorum, circa annum 14—18 maximam ostendit in haemoptysim dispositionem; quae vero in foeminis tamen prius quam in viris evanescit, sanguinis torrente magis ad uterum converso; quum e contra sexus virilis pari cum ejus serae evolutionis passu hac propensione, aetatis 30mo anno adhuc detinetur.

C. In constitutione plethorica — tamen hic rarius quam:

D. In constitutione phthisica — cujus essentia in excedente irritabilitate nervorum, et vasorum, cum synchronistica proclivitate ad sanguinis congestiones versus pulmones, eorumque rationibus spatii angustatis consistit: sunt nempe individua phthisica tenera, membris gracilibus pollentia, dimensionis corporis in longum excedentis, thoracis plani angusti impressi; collum tenue longum, scapulae elevatae alaeformes, cutis tenera, mollis, alba, cum venis translucentibus, rubor genarum circumscriptus, irritabilitas in systemate vasorum magna, pulsus frequentior, incitatus, versatilis; in genere receptivitas magna, reactio minor adest. Haec individua jam puerili aetate, spasmis vexantur sensibilitatem ac irritabilitatem in omnibus morbis auctam annuntiant, maxime vero tamen omnium irritabilitas organorum respirationis excedit, qua fit ut levissimum refrigerium tussim, catarrhum, pneumoniam, producat.

E. In opificiis diversis — si cum pulmonum nimia intentione, aut aëris inspirandi inquinatione contingunt; — priori in casu: musici instrumenta flatilia tractantes, scenarii, declamatores, concinnatores; — posteriori vero homines in fodinis laborantes, metalla diversa tractantes in hoc malum disponent.

Causae excitantes.

Quamvis omnes causae profluvia sanguinis generis cujusvis excitantes, haemoptysi etiam faventes agnoscis; nec tamen ullae desunt, quae magis directe pulmones feriunt, pneumonorrhagiae procreandae maximae inserviunt.

a. Pneumonorrhagiam activam causant: athmosphaera oxygenio dives, frigida — venti septemtrionales, aut ex regione septemtrionem inter et ortum intermedia flantes; hinc talis haemoptysis etiam qua morbus epidemicus occurri potest, quali de epidemia cel. *Sydenham* [1] olim ab ipso observata, mentionem facit. Insuper causatur potulentis spirituosis, crebro in usum tractis — remediis aethereo resinosis, balsamis nativis, irritamentis gastricis, vermibus; intentione corporis ac pulmonum violenta: per cursum saltum, aequitationem, risum effraenem, clamorem, nixum fortiorem sub alvi excretione, ac partu difficili, ponderis gravis elevationem, ac per laesiones diversas mechanicas.

b. Haemoptysi, cum charactere erethismi, inducendae favent: altior gradus caloris expandentis, subito intrans frigore praegresso, uti in tempore vernali non raro accidit; humorum jactura nobilium, energia musculari fracta, et irritabilitate evecta; inde haemoptysis ex lactatione protracta, ex deperdita magna copia spermatis (tabes dorsalis); — refrigerium extremitatum inferiorum, retentio emansio ac suppressio cujuscumque sanguinis profluvii habitualis: ataxia mensium ac haemorrhoidum, balnea frigida corpore aestuante in usum vocata, vapores acidorum mineralium, arsenicales, merculiales, inspiratio pulverum vegetabilium acrium etc.

c. Pneumonorrhagiam passivam pariunt causae quaecumque in genere profluviis hujus characteris gignendis favent, vires vitales imprimis systematis sanguiferi mediatim aut imediatim frangunt, debilitant, irritabilitatem depri-

1) Opera omnia Sect. VI. cap. 7. pag. 285.

munt sanguinemque solvunt; uti: continuae humorum nobilium evacuationes, nutrimenta vilia depravata putrescentia, athmosphaera calido — humida, äer oxygenio orbatus, materiis nocivis inquinatus mora in habitaculis humidis. Animi pathemata deprimentia abusus remediorum solventium delibitantium narcoticorum; febris putrida, catarrhi inveterati et male tractati, scorbutus, morbus maculosus Werlhofü, contagium, pestis orientalis typhi variolarum etc.

Insuper haemoptysis, circulatione in aliis corporis partibus quacumque ex causa impedita; vestimentis angustis, vitiis cordis organicis spasmis, infarctibus viscerum abdominalium hepatis, lienis etc. excitari potest; quum sanguis e contra majori impetu organa mollioris structurae adgreditur et in iis accumulatur; pulmones spongiosi nullam fere resistentiam offerentes, rivum hunc cruoris majorem extrinsecus fluere patiuntur.

Causa proxima.

Haec in nonnullis casibus consistere videtur in solutione continuitatis vasorum haematophororum Diaeresi; quae iterum aut per rhexim - rupturam vasorum, - aut per diabrosim - erosionem vasorum per ulcerationem aut supurationem causatam. — Sed haemorrhagia in his organis longe plurimum non per solutionem continui, sed ope transudationis contingit et quidem aut per diapedesim, — per exiguos parietum vasorum sanguiferorum poros, aut per secretionem morbosam, per ostia in finibus vasorum haematophororum minima, quae vero pro diversitate conditionis energiae vitalis triplicem haemoptysim gignit; hinc et causa proxima (*Frank*, *Spangenberg*, *Haase*) triplex stabilienda est:

a. Pneumonorrhagia activa monstrat vitam pulmonum exaltatam cum circulo sanguinis accelerato, calorem valde evolutum cruoris indolem plasticam. Hic profluvium per secretionem cruoris in vasculis capillaribus vigentem producitur.

b. Pneumonorrhagia erethistica gaudet majori vasorum agilitate cum deficiente statu sanguinis phlogistico;

hinc vasa minora sanguini majori impetu adpulso, minorem resistentiam offerentia, ejus fluxum causant.

c. In Pneumonorrhagia passiva processus vitalis pulmonum languet, energia vasorum imminuta, sanguinis in pulmonibus accumulatio cum relaxatione partium contingit, qua cruor tenuis, exiguam plasticitatem offerens per laxos, et diductos vasorum parietes exprimitur.

Diversi exitus morbi.

Transitus pneumonorrhagiae est uti aliorum morborum aut in sanitatem, aut in alios morbos, aut in mortem.

a. In sanitatem transitum annuntiant: quantitas sanguinis excreti paulisper imminuta, color ejus alienatus ex brunescente nigricans, mucus dein solus flavescens expectoratus, sic et hoc colore evanido sputa tenacia, globosa, uti in pneumonia ejecta (*Schönlein.*) — Hic felix exitus tantum in pneumonorrhagia activa gradus mitioris saepissime conspicitur, quae jam natura sua, cum notabili levamine aegri procedit, eo magis in sanitatem abitura, quo recentior, minus inveterata, et causis levioribus facile amovendis producta sit; si in individuis plethoricis causis eam augentibus evitatis, ex suppressis catameniis ac haemorrhoidibus exorta sit; si sanguinis jactura aegri vires nedum exhausit, absente dispositione haereditaria. In phlogosi pulmonum haemorrhagia ut critica contingit.

b. Praesente dispositione mala pneumonorrhagia lubenter in alios morbos exitum facit, praecipue si methodo perversa tractata per longiorem durationem, notabilem sanguinis jacturam causavit. Sic transire amat in inflammationem texturae pulmonum aut extravasatum circumdantis aut ad majorem pulmonum

partem extensae; quod contendente J. L. Schönlein, creberrime accidere solet; — in oedema pulmonum praecipue in hominibus senio confectis humore aquoso in tellam cellulosam singulas vesiculas pulmonum aëreas connectentem effuso cujus transitus diagnosim inferiorum extremitatum oedema urinae fluxus restrictus dilucidare solent; — in phthisim pulmonalem; — febrim depascentem; — hydropem; — asthma, et alias cachexias.

c. In mortem transit aut subito per apoplexiam pulmonum (Schönlein) tanta quantitate sanguinis aut in pulmonum parenchyma aut in bronchos effusa, ut vesiculae aëriferae inpermeabiles factae suffocationis periculum inducant; aut lentius per phthisim, oedema pulmonum per statum asphycticum magna sanguinis jactura in veram mortem transeuntem; sic et per alios morbos posthumos.

Momenta prognostica.

Pneumonorrhagia in genere sistit morbum nunquam periculo destitutum; uti jam *Hippocrates* [1]) hanc veritatem agnoscens: „Sanguis, inquit, sursum quidem qualiscumque fuerit malus." Minime vero prognosis solo sanguinis profluvio limitatur, imo potius dignitatem organi ejusque continuum motum causas excitantes et prae omnibus status morbosos haemorrhagiam suffulcientes et qua effectus phthisim subsequutam inculpanda puta, quibus talis haemorrhagia periculosa evadit. In genere, quo praecocius ac vehementius cruoris profluvium intrat, quo magis vires vitales exhauriuntur ac functio pulmonum coarctatur, quo difficilius causa amovi potest, eo plus periculi haemorrhagia annuntiabit.

---

[1]) Aphorism. XV. Sect. 7.

Speciatim vero prognosim dirigunt:

A. Character morbi. Activa enim pneumonorrhagia faustiorem admittit prognosim, quam erethistica; haec vero laetiorem quam passiva. Quamquam activam haemoptysim haud raro absque peculiari dispositione evolutam, febrim ac pneumoniam comitantem, et in localibus brevi durantibus congestionibus radicantem invenis, quae minimo cum periculo decurrit tamen est, quod tuam prophetiam restringas oportoat; si febris ac inflammatio pulmonum ad majorem gradum evehuntur; tussis intensior, dolor ac anxietas magna intrant, suppuratio minatur. — Cum erethismo incedens pneumonorrhagia magis periculosa fit praedominante dispositione phthisica, et profluvio saepius recurrente, quam sub conditionibus contrariis. — Passiva haemorrhagia pulmonum omnium periculosissima praecipue si cum febri putrida aut scorbuto juncta procedit.

B. Relatio causalis. Brevi tempore tantum in organismum agentibus causis externis, si v. c. motu musculari intensiori aut pulmonum majori adstrictione provocata fuerit haemorrhagia pulmonalis, laetiorem admittit prophetiam quam si dispositioni ac habitui phthisico juncta, insuper per vitia organica viscerum cavi thoracis et abdominis provocata ac sustentata fuerit, quorum remotio extra limites artis medicae jacere nemini dubium.

C. Aetas aegri. Juniora individua tempore pubertatis offendens haemorrhagia pulmonum, semper sistit morbum ominosum; quum hac vitae periodo vasa pulmonum haematophora nedum firmitate debita gaudent, et sanguis versus organa pectoralia in sequelam eorum evolutionis majori impetu propellitur. — Haemoptysis vero aetate provectioribus in individuis intra 30 — 50 annos adparens plurimis in casibus functionem vicariam catameniorum ac haemorrhoidum anormalium suscepisse videtur, a quorum faciliori aut difficiliori reductione ad pristinam normam prognosis aut laetior, aut tristior sonabit; nec desunt casus ubi etiam absente habitu phthisico tales hae-

morrhagiae vicariae ob inductas desorganisationes pulmonum deplorandam aegri sortem reliquere.

D. Constitutio corporis. Hoc respectu prae omnibus habitus aegri phthisicus in deformitate et coarctatione pectoris nec non in majori organorum respirationis irritabilitate fundatus, praesagium faustum limitabit.

E. Sexus. Cum in sexu sequiore congestiones sanguinis in pulmones citius desinant, et ad partes genitales convertantur, hinc pneumonorrhagia in foeminis minus timenda, quam in viris; sic et in foeminis gravidis ac puellis nedum menstruantibus pneumonorrhagia minus periculosa adparet; nam experientia teste post partum ac menstruorum adparitionem, sanguinis cursu ad has plagas corporis directo haemorrhagia silebit; sic et in foeminis aetatis provectioris, sanguinis fluxus e pulmonibus occurrens, crebro cum ataxia menstruorum nexum fovet, et his restitutis facile sanari potest.

F. Quantitas sanguinis. Accidit saepe quod sanguinis quantitas una vice eliminati vix unciarum 6 — 8 pondus transcendit; sed tamen hac minori quantitate saepius recidiva, notabilis hujus laticis nobilissimi jactura jam vitae periculum non exiguum causare valet. Occurrunt etiam (licet rarissime) casus, ubi per os justo major sanguinis quantitas ad semel eliminetur (in haemorrhagia pulmonum proprie sic dicta) quod si accidit, symptomata majoris sanguinis jacturae sub ipso jam insultu in conspectum venient. Casus hic periculosior adhuc evadit peaesentibus insimul vitiis pulmonum organicis, nam licet profluvium cruoris cesset, tamen phthisis pulmonalis frequentissime remanet, aut suffocatio inducitur.

G. Qualitas sanguinis eliminati. Majorem spem prodit, sanguis spissus, laete ruber, crassam crustam pleuriticam formans; nam indicat characterem pneumonorrhagiae activum. — Minus spei promittit, sanguis, majori quantitate eliminatus, tenuis, laete ruber characterem erethisticum denotans. Omnium vero tristissimam prophetiam sistit; profluvium e pulmonibus cruoris tenuissimi resoluti nigri; characterem passivum arguentis. —

H. Locus sanguinem plorans. Sanguis ex trachea ejusque ramis profluens, faustiorem, illo ex pulmonum substantia veniente prognosim admittit; nec tamen praetervidendum est, quod in priori casu, praesente dispositione scrophulosa, vasis majoribus sanguinem fundentibus, haemorrhagia etsi sit ex trachea, phthisim trachealem causare valet.

I. Symptomata haemoptysim comitantia. Male omen sistunt; tussis vehemens, dolor in pectore fixus, asthma; nam sunt signa vitiorum thoracis localium; ejectio puris, febris valida, finita haemorrhagia adhuc perstans; pulsus parvus, frequens contractus, rubedo genarum circumscripta, sudores nocturni profusi, cum synchronistico virium decremento; nam sistunt phoenomena phthiseos incipientis.

K. Simplicitas et complicatio cum aliis morbis. Quaelibet pneumonorrhagia simplex, complicatae praeferenda est; complicationes vero cum morbis characteris activi, minus periculi habent, quam si haemorrhagia cum morbis characteris erethismi complicata procedit, pessimam prognosim reddunt complicationes cum febre putrida et scorbuto. Vitia organica, atque suppurationes organorum in cavo thoracis locatorum semper sistunt summe ominosas complicationes pneumonorrhagiae.

Momenta therapeutica.

Cuilibet, momenta hucusque relata attenta mente perpendenti, amotionem causarum disponentium et excitantium principalem indicationem in tractando hoc morbo sistere; tunc dein complicationum, characteris et indolis, modique profluvii simultaneum respectum habere, non dubium erit. Alia ergo instituatur pneumonorrhagiae therapia sub invasione, alia hac absoluta.

Cura sub insultu.

Praeprimis hic indicatio intrat, sanguinis circulum, in omni corpore, prae omnibus vero in pulmonibus pacare. Amoveantur causae praesentes transitoriae, restituantur alia pro-

fluvia sanguinis forsan suppressa; athmosphaera aegrum circumdans ut ab omni inquinatione libera nec nimis frigida; ponatur aeger in lectum temperaturae moderatae, ut caput et thorax quidpiam altius locata sint, spolietur omnibus corpus arctius stringentibus vestimentis, obtegatur tegmine leviore, observet summam quietem, praecipue quiescant organa respiratoria, nec multum loquendo intendantur, omnisque animi commotus quantum possibile, sit placandus, potulenta et nutrimenta tussim moventia sunt vitanda. Sed omnium primum respectum in hoc morbo tractando sibi exposcit character quo procedit; nimirum anne sit activus, erethicus, anne passivus. (*Haase.*)

Cura pneumonorrhagiae characteris activi

Sunt multi casus in quibus cura negativa haemoptysi sopiendae jam sufficit; haemorrhagia autem frequenter revertente, hoc charactere stipata, therapia efficacior, in apparatu antiphlogistico strictiori imo strictissimo consistens, in usum vocanda erit; et ex hoc qua efficacissimum remedium seligenda est sanguinis depletio universalis, quae eo largior sit oportet, quo major febris, quo plenior duriorque pulsus, quo vehementiores sint in pectore dolores quo intensior tussis. Sanguis tussi expulsus nunquam vetat venaesectionem, dummodo symptomata debilitatis per majorem laticis cruenti jacturam inductae: pulsus debilis, parvus etc. absint. — Quantitas sanguinis evacuandi debet adcommodari constitutioni individuali aegri, et intensitati morbi; in multis casibus evacuamus sanguinem ab unciis sex usque ad libram unam, in aegris debilioribus teneriorbus saepe sufficit uncias quatuor, tres, evacuasse. Praeferunt alii sectionem venae in brachio lateris illius in quo aeger dolores accusat, alii vero (*Richter*) in partibus remotis, in extremitatibus inferioribus nempe instituere; aliis in locis phlebotomiam facere non est moris. — Venaesectiones exploratorias parvas a cel. *Reil* commendatas, cel. *Haase* aliique impugnant, quod revulsioni faciendae nequaquam sufficiant. In hae-

moptysi aliis ex profluviis suppressis (uti: fluxu haemorrhoidali, menstruo) exorta praecedat detractio cruoris universalis, tum topice pro re nata ad pudenda orificium ani, hirudines; vel ad internam femorum superficiem, os sacrum, perinaeumque cucurbiteae cruentae adplicentur; succedet forsan hac agendi ratione, fluxum suppressum iterum restituere, atque morbi periculum minantis, sanationem procurare. —

Interne sumantur remedia antiphlogistica emollientia, mucilaginosa, oleosa. Ita exhibebimus: decoctum hordei cum oxymelle simplici, syrupo rubi idaei, succo citri, saccharo; aut decoctum althaeae, salep: vel emulsionem tenuem e seminibus cucurbitarum, melonum, cucumerum, amygdalarum dulcium, vel emulsiones oleosas ex oleo amygdalarum, lini, aut ricini (*Wendt* et *Handel*), Optime autem haec aliquid tepida sumuntur.

Utiliter his adjungitur nitrum, ob vim suam refrigerantem, solventem et plasticitatem sanguinis imminuentem, qui etiam cremori tartari junctus forma pulveris exhibetur. Cel. *Spangenberg* in illo casu ubi pneumonorrhagia activa causam in retropulsis morbis cutaneis agnoscit, recommendat salem ammoniacum cujus tamen usus majorem adhuc ac is nitri requirit circumspectionem. — Hujus loci etiam sunt: acida vegetabilia diluta quae tamen ne tussim moveant, nunquam sola verum semper cum syrupo, saccharo mucilaginibus propinanda erunt, quo scopo: limonada cum multo saccharo; acetum, acidum tartricum etc. multa aqua diluta exhibentur; gastricismo aut alvi obstructione praesente eccoprotica mitiora uti: Pulpae tamarindorum, prunorum, cassiae etc. cum enematibus ordinantur.

Externa remedia vigente hoc charactere sunt: derivantia-nullatenus sic dicta sanguinem sistentia v. c. fomentationes ex aceto et aqua, frigidae etc. si ad pectus ponerentur. quibus, sanguinis fluxu forsan pro momento sopito, serius valida tussis et vera pneumonia excitarentur, vehementiori proruptui sanguinis occasionem praebentes.

Hinc remediorum externorum usus restringetur ad jam commemoratam venaesectionem hirudines loco remotiori adhibitos pediluvia tepida, fomenta pedum calida, enemata moderate adpli-

cata. — Omnibus his regimen diaeteticum congruum jungatur necesse est. In genere diaeta stricte antiphlogistica observanda, potulenta et nutrimenta absque stimulo et aromate in usum trahenda erunt. Maxima attentio, ut jam supra monui, in situm aegroti convertenda est; hic potius sedentarius sit qu am jacens, evitentur sedulo omnes intentiones pulmonum loquendo, vociferando, aut inani tussi; arceantur stimuli physici aut psychici; cubile sit temperatum, lectus duriusculus etc.

Cura pneumonorrhagiae cum erethismo.

Haemoptysi cum charactere erethismi procedente omnium prima eruendum est, anne et hic sanguinis depletionem universalem instituere liceat? — *Spangenberg*[1] et asseclae theoriae incitationis eam plane rejiciunt; alii vero (*Reil*) experientia teste eam admittunt contendentes: venaesectionem moderate et certa sub indicatione institutam etsi sit quatuor unciarum, praeverti posse quominus aeger serius uncias duodecim amittat; nam saepe occurrunt casus, ubi tota constitutio corporis, symptomata morbum praecedentia et concomitantia: pulsus nempe contractus, frigus extremitatum, urinae pallidae et alia indolem morbi spasticam evincunt, et tamen extensive major activitas systematis arteriosi, cum congestione sanguinis ad pulmones majore, venaesectionem instituendam esse svadent.

Momenta cel. *Haase* pro phlebotomia instituenda sequentia indicat: 1. Majorem sanguinis congestionem in pulmones. 2. Morbum recentem aegrum antea non infestantem — dispositionem in eundum exiguam. 3. Symptomata, quae haemorrhagiam e secretione obtinere docent. 4. Haemoptysin ex suppresso catameniorum ac haemorrhoidum fluxu; momentum hoc ultimum exceptiones innumeras admittens minimi est valoris. Dantur tamen casus ubi debilitas magna omnem sanguinis missionem interdicit, quamquam habitus phthisicus eam non semper et ubique prohibet, imo potius phthiseos verae evolutio per hoc unicum remedium saepe praevertitur. Si ergo omnibus circumstantiis rite et

---

1) a. a. O. S. 299.

exacte pensitatis, indicationem et contraindicationem pro venaesectione suscipienda dirigentibus; tamen hanc instituendam esse putes, nolli praetervidere sanguinem semper minori in quantitate in pleumonorrhagia activa esse mittendum, ejusque depletionem non pluries repetendam.

Quae interne sumuntur remedia sint talia oportet ut irritabilitatem morbosam vasorum haematophororum imprimis pulmonum imminuere valeant. Multi huic scopo contra omnem pneumonorrhagiam commendarunt aquam frigidam, tam interne quam externe adhibendam; sed minime in omni haemoptoë hoc remedium heroicum svadebis, perpendens, hanc curam quam saepissime jam noxiam fuisse, symptomatibus tracheitidis et bronchitidis chronicae in phthisim nulla arte sufferendam transeuntis etsi profluvium cessaverit, inductis.

Talibus sub circumstantiis, magis votis respondebunt emollientia blandissima, emulsiones tenues, acida vegetabilia diluta jam supra laudata; — longe frequentius adhuc acida mineralia prosunt, quum energiam arteriarum evehunt, irritabilitatem excedentem in iis compescunt; ex his maxime commendant medici acidum phosphoricum cum decocto emolliente summendum; pari utilitate gaudet acidum sufluricum dilutum et in specie liquor acidus Halleri. Quamquam recentiori tempore plumbum aceticum huic scopo in pneumonorrhagia cum erethismo *a Jahn* optato cum eventu saepius adhibitum fuerit; 1) tamen cel. *Haase* acidis mineralibus hoc remedium superfluum factum esse, contendit.

Ubi exaltata irritabilitas potius in statu nervorum abnormi posita est, remedia paregorica votis respondent. Cel. *Harles* 2) hoc scopo oleum hyasciami coctum forma emulsionis porrigendum qua specificum celebrat; saepe vero plus tamen ab aliis narcoticis uti: caulibus dulcamarae, extracto lactucae sativae, hyosciami (*Fr. Hoffmann*), cicutae, sperandum est.

Digitalis purpurea testante *Franc* comprobatae virtutis sistit pharmacon, quod fere specifice exaltatam irritabilitatem sys-

---

1) Burdach syst. der Arzneymittellehre. Band I. S. 328.

2) Huteland's Journal der prakt. Heilkunde. Band IX. St. 2. S. 56.

tematis arteriosi deprimit, symptomata erethismi temperat, orgasmum et congestiones dissipat, pulsum liberiorem tardiorem, rarioremque reddit: exhibetur jam sola jam opio nupta, jam forma pulveris, jam infusi, nequaquam forma decocti, in quo maximam copiam partium constituentium efficacium volatilium amittit.

Opium sub maximo erethismo, tussi spasmodica compositis undis febrilibus, et orgasmo pacato in pneumonorrhagia eximium remedium sistit. Exhibetur aut forma pulveris aut pilularum, tincturae, aut solum, aut cum ipecacuanha copulatum. Sed praesente nimia sensibilitate non tam certa fide gaudent, Pulveres Doweri, quum, etsi minimis dosibus, Ipecacuanha hic noxium vomitum causare posset (*Haase*).

Multum quoque aevo nostro aqua laurocerassi et acidum hydrocyanicum, in morbis viarum respirationis a medicis pluribus cum decoctis emollientibus summenda commendata sunt. Remedia etiam antagonistica saepe sat cito haemorrhagiam talem sistere valent: uti sal culinaris [1]) sal amarus, sal mirabilis Glauberi, arcanum duplicatum; quum stimulo salino tubum intestinalem irritant irritationem excedentem in trachea et bronchis antagonistice compescendo, haemorrhagiam hic vigentem sopiunt. Hi sales ibi imprimis indicantur, ubi alvus clausa est, praesente diarrhoea contraindicentur.

Remedia externa in haemoptysi cum erethismo eximia utilitate gaudent uti: pediluvia tepida seminibus sinapis, cineribus, sale communi impraegnata; frictio pedum cum setaceo, sinapismi suris imponendi; cucurbitae siccae superficiei femorum adaptandae [2]) vesicantia pectori dorso etc. adplicanda, clysmata emollientia et aperientia etc.

Sic dicta sanguinem sistentia remedia cum cautela et solum in haemoptysi per anastomosim (*Haase*) excitata nequaquam ex secretione cruoris morbosa profecta in usum vocabuntur uti lotio

---

[1]) In Abhandlung für praktische Aerzte. Band II. S. 55. Band XV. S. 478; — Michaëlis in Richter's chir. Bibliothek. VII. Band. Seite 581.

[2]) Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde. Monat September 1809.

pectoris cum aqua frigida, cum hac et aceto vel cum amonia pura liquida, fomentatio cum nivibus etc.

Remedia antispasmodica externa hic magis ob tussim pertinacem et molestam quam ob haemorrhagiam ipsam in usum trahuntur; uti: inunctiones linimenti votatilis cum opio, solutio balsami Peruviani in spiritu vini etc. Majorem cautelam sibi exposcunt quoque fomenta antispastica, cataplasmata tepida, ex pulveribus chamomillae, herbae melissae, roris marini, hyosciami et cicutae cum vino aut aqua paratae.

Diaeta sub invasione cum eadem prioris convenit, insultu finito aeger cibis blande nutrientibus, digestu facilibus nutriendus erit. Generatim consultius est, alimenta saepius, parva dosi quam rarius et larga quantitate concedere.

Cura pneumonorrhagiae passivae.

Haec qua periculosissima omnium subito auxilium exposcit. Indicata hic sunt medicamenta tonica adstringentia uti: radix tormentillae, bistortae, cortex peruvianus etc. acida mineralia, imprimis acidum vitrioli dosi majore — alumen jam in pulvere, jam in sero lactis aut decocto adstringente propinatum; succus catechu, gumi kino; radix ratanhiae (vires digestionis tormentilla etc. minus molestans.)

Saepe saepius Cinnamomum in pulvere ejus aqua destillata aut tinctura; et paralysi instante remedia stimulantia, uti: camphora, moschus, rad. sepentariae, flor. Arnicae, Aetheres, olea aetherea, vinum generosum Tokayense etc.

Debilitate magis magisve increscente remedia quoque externa in usum trahenda sunt; uti sinapismi, vesicantia, brachiis pectorique imponenda; linimentum volatile, spiritus camphoratus pectori infricanda; fomentationes pectoris cum aceto aromatico, camphora imbuto, cum solutione aluminis, ferri sulfurici etc.

Diaeta consistit in alimentis eupeptis valde nutrientibus, aromate conditis; ut sunt: juscula carnosa fortia, gelatina, cibi animales pro potu vinum aqua temperatum. Cura pneu-

monorrhagiae per laesionem mechanicam inductae a priori vix differt.

Medela pneumonorrhagiae insultu finito.

Haemoptysi, per methodum statui individuali adaequatam, suffocata, non cura omnis pro futuro negligenda, morbo facile revertente; imo potius examen ulterius instituendum, ut diagnosis eo exactior reddatur, ut causae morbum producentes, sustentantes, recidivam procreantes definiantur; tum demum indicatio curae ad recidivam praecavendam, ab ipsis causis removendis desumenda erit. Non raro ob constitutionem aegri peculiarem, ob effectum potentiarum nocentium adhuc superstitem, dispositio in pneumonorrhagiam activam manifesta est; in hoc casu methodus antiphlogistica mitior cum simili vitae regimine per tempus longius continuari debet; ubi diathesis inflammatoria per sanguinis conditionem morbosam alitur, methodus solvens aestate imprimis in usum trahenda, valde proficua erit: talibus prodest verno tempore diaeta lactea serum lactis, acidulae alcalinae etc.

Alias status dynamicus pneumonorrhagiam sustentans, potius debilitatem praesefert; adquam sufferendam, et ad irritabilitatem morbosam imminuendam, cura pro diverso statu individuali, varia adhibenda est: ita saepe acida mineralia longiore tempore summi debent. — Ubi character nervosus dominium exercet usus remediorum huic correspondentium, protrahendus erit; cuncta vero, quae sanguinis circulum celeriorem reddere, congestionem in pulmonibus producere valent sollicite arcenda sunt. Praesente debilitate majore methodus roborans congruum inveniet locum. — Ubi pneumonorrhagia per evacuationes habituales suppressas aut morbos alios praeprimis cutis evanidas producitur, et sustentatur, cura restituendis profluviis et revocandis efflorescentiis dermatis intenta esto. — Dum infarctus abdominales et obstructio alvina, morbi causam gerunt, solventia, purgantia mitiora, opem ferent. Frequentissima causa morbi uti et reci-

divae, illius in refrigerio latet, nimirum ob cutis irritabilitatem magnam circulatio impeditur congestio autem major in pulmones redditur; ideo ad recidivam hanc impediendam irritabilitas cutis excedens, imminuenda per lotiones frigidas debita cautela, in aestate in fluvio instituendas. *Cullen* huic scopo vestitum laneum ad continuam frictionem cutis, et ad refrigerium facilius evitandum commendavit. Inservient etiam huic scopo, ad recidivam praecavendam et ad irritabilitatem et congestionem in pulmonibus imminuendam efficatiora remedia, uti: cortex mezerei, emplastrum vesicatorium perpetuum fonticuli, setaceum, adplicando haec brachiis aut parti cuidam pectoris. Ita per haec remedia statui individuali accomodata plurimis in casibus pneumonorrhagiam sanare recidivamquae illius impedire valemus.

Theses defendendae.

I.

Respirationis et nutritionis processus eundem prosequuntur finem.

II.

Sanguini ceterisque humoribus vita denegari non potest.

III.

Non dantur remedia diuretica absoluta.

IV.

Venae potestate absorbendi gaudent.

V.

Caprificatio plantarum per insecta est phantasiae ludibrium.

VI.

In operatione anevrysmatis compressio arteriae plana, constrictioni est praeferenda.

VII.

Reclinatio per Scleroticonyxim praestat illa, per Keratonyxim.

VIII.

Haemoptoë aut fons aut sequela tuberculoseos.

IX.

Haemorrhagia nil, nisi symptoma morbi.

X.

Funiculus umbilicalis est ligandus.

XI.

Influxus hepatis in animum gravis